



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*
(*TEMPLUM S. IOANNIS BOSCO*)*

TEMPLUM S. IOANNIS BOSCO, QUOD ROMAE VIA TUSCULANA EXSTAT,
AD GRADUM DIACONIAE CARDINALICIAE EVEHITUR.

Romana haec Sedes, aequissima virtutis aestimatrix et iudex, non modo veteri solet consuetudine institutoque maiorum ea quae homines christianae religionis causa gesserint pari gratia rependere, verum etiam et loca et sacerrima Dei templa amplis quandoque cumulare muneribus: hic enim honos non solum in eorum laudem cedit scilicet qui ea pietate custodiunt, sed etiam, quod pluris est, stimulos addit ad aeterni et immortalis Numinis gloriam augescendam. Quam ob rem, volentibus Nobis pro Ecclesiae necessitatibus numerum seu titulorum cardinaliciorum seu diaconiarum, quae sacris Cardinalibus deferantur, ampliari, visum est ad tantum honoris et dignitatis templum etiam S. Ioannis Bosco evehere, cuius momentum non una maiestas maius facit et paroeciale decus ab anno MCMLIII, die septimo mensis Novembris, consecutum, sed etiam continentes aedes, in quibus pueri et adolescentes cuiusvis ordinis educantur, pietate, doctrina, sacrarum rerum institutione. Placet ergo templum S. Ioannis Bosco, Romae via Tusculana exurgens, *diaconiae* dignitate honestare, factis nempe iis iuribus quae ceteris eius ordinis templis sunt propria. Rectori autem oneri erit has Litteras Nostras ad exitum adducendi, in clerique populique notitiam perferendi. Re vero acta, documenta exarari curabit, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic

haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis</p>
---	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Josephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Caesar Federici, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 498-499 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana